

**Waltharius**

*ignotus*

970 A.D.

### **Prologus Geraldii**

Omnipotens genitor, summae virtutis amator,  
Iure pari natusque amborum spiritus almus,  
Personis trinus, vera deitate sed unus,  
Qui vita vivens cuncta et sine fine tenebis,  
Pontificem summum tu salva nunc et in aevum  
Claro Erckambaldum fulgentem nomine dignum,  
Crescat ut interius sancto spiramine plenus,  
Multis infictum quo sit medicamen in aevum.  
Praesul sancte dei, nunc accipe munera servi,  
Quae tibi decrevit de larga promere cura  
Peccator fragilis Geraldus nomine vilis,  
Qui tibi nam certus corde estque fidelis alumnus.  
Quod precibus dominum iugiter precor omnitonantem,  
Ut nanciscaris factis, quae promo loquelis,  
Det pater ex summis caelum terramque gubernans.  
Serve dei summi, ne despice verba libelli,  
Non canit alma dei, resonat sed mira tyronis,  
Nomine Waltharius, per proelia multa resectus.  
Ludendum magis est dominum quam sit rogitandum,  
Perlectus longaevi stringit inampla diei.  
Sis felix sanctus per tempora plura sacerdos,  
Sit tibi mente tua Geraldus carus adelphus.

### **Pars Prima**

Tertia pars orbis, fratres, Europa vocatur,  
Moribus ac linguis varias et nomine gentes  
Distinguens, cultu, tum religione sequestrans.

Inter quas gens Pannoniae residere probatur,  
Quam tamen et Hunos plerumque vocare solemus.  
Hic populus fortis virtute vigebat et armis,  
Non circumpositas solum domitans regiones,  
Litoris oceani sed pertransiverat oras,  
Foedera supplicibus donans sternensque rebelles.  
Ultra millenos fertur dominarier annos.

Attila rex quodam tulit illud tempore regnum,  
Impiger antiquos sibimet renovare triumphos.  
Qui sua castra movens mandavit visere Francos,  
Quorum rex Gibicho solio pollebat in alto,  
Prole recens orta gaudens, quam postea narro;  
Namque marem genuit, quem Guntharium vocitavit.

Fama volans pavidis regis transverberat aures,  
Dicens hostilem cuneum transire per Hystrum,  
Vincentem numero stellas atque amnis arenas.  
Qui non confidens armis vel robore plebis  
Concilium cogit, quae sint facienda, requirit.  
Consensere omnes foedus debere precari  
Et dextras, si forte darent, coniungere dextris  
Obsidibusque datis censum persolvere iussum;  
Hoc melius fore, quam vitam simul ac regionem  
Perdiderint natosque suos pariterque maritas.

Nobilis hoc Hagano fuerat sub tempore tiro  
Indolis egregiae, veniens de germine Troiae.  
Hunc, quia Guntharius nondum pervenit ad aevum,  
Ut sine matre queat vitam retinere tenellam,

Cum gaza ingenti decernunt mittere regi.  
Nec mora, legati censum iuvenemque ferentes  
Deveniunt pacemque rogant ac foedera firmant.

Tempore quo validis steterat Burgundia sceptris,  
Cuius primatum Heriricus forte gerebat.  
Filia huic tantum fuit unica nomine Hiltgunt,  
Nobilitate quidem pollens ac stemmate formae.  
Debuit haec heres aula residere paterna  
Atque diu congesta frui, si forte liceret.

Namque Avars firma cum Francis pace peracta  
Suspendunt a fine quidem regionis eorum,  
Attila sed celeres mox huc deflectit habenas,  
Nec tardant reliqui satrapae vestigia adire.  
Ibant aequati numero, sed et agmine longo.  
Quadrupedum cursu tellus concussa gemebat,  
Scutorum sonitu pavidus superintonat aether.  
Ferreus silva micat totos rutilando per agros:  
Haud aliter primo quam pulsans aequora mane  
Pulcher in extremis renitet sol partibus orbis.  
Iamque Ararim Rodanumque amnes transiverat altos  
Atque ad praedandum cuneus dispergitur omnis.

Forte Cabillonis sedit Heriricus, et ecce  
Attollens oculos speculator vociferatur:  
„Quaenam condense consurgit pulvere nubes?  
Vis inimica venit, portas iam claudite cunctas!”  
Iam tum, quid Franci fecissent, ipse sciebat  
Princeps et cunctos compellat sic seniores:

„Si gens tam fortis, cui nos simillare nequimus,  
Cessit Pannoniae, qua nos virtute putatis  
Huic conferre manum et patriam defendere dulcem?  
Est satius, pactum faciant censumque capessant.  
Unica nata mihi, quam tradere pro regione  
Non dubito; tantum pergant, qui foedera firment.”

Ibant legati totis gladiis spoliati,  
Hostibus insinuant, quod regis iussio mandat,  
Ut cessent vastare, rogant. quos Attila ductor,  
Ut solitus fuerat, blande suscepit et inquit:  
„Foedera plus cupio quam proelia mittere vulgo.  
Pace quidem Huni malunt regnare, sed armis  
Inviti feriunt, quos cernunt esse rebelles.  
Rex ad nos veniens dextram det atque resumat.”  
Exivit princeps asportans innumeratos  
Thesaurus pactumque ferit natamque reliquit.  
Pergit in exilium pulcherrima gemma parentum.

Postquam complevit pactum statuitque tributum,  
Attila in occiduas promovet agmina partes.  
Namque Aquitanorum tunc Alphere regna tenebat,  
Quem sobolem sexus narrant habuisse virilis,  
Nomine Waltharium, primaevo flore nitentem.  
Nam iusiurandum Heriricus et Alphere reges  
Inter se dederant, pueros quod consociarent,  
Cum primum tempus nubendi venerit illis.  
Hic ubi cognovit gentes has esse domatas,  
Cooperat ingenti cordis trepidare pavore,

Nec iam spes fuerat saevis defendier armis.

„Quid cessemus”, ait, „si bella movere nequimus?

Exemplum nobis Burgundia, Francia donant.

Non incusamur, si talibus aequiperamur.

Legatos mitto foedusque ferire iubebo

Obsidis inque vicem dilectum porrigo natum

Et iam nunc Hunis censum persolvo futurum.”

Sed quid plus remorer? dictum compleverat actis.

Tunc Avars gazis onerati denique multis

Obsidibus sumptis Haganone, Hiltgunde puella

Nec non Walthario redierunt pectore laeto.

Attila Pannonias ingressus et urbe receptus

Exulibus pueris magnam exhibuit pietatem

Ac veluti proprios nutrire iubebat alumnos.

Virginis et curam reginam mandat habere,

Ast adolescentes propriis conspectibus ambos

Semper adesse iubet, sed et artibus imbuit illos

Praesertimque iocis belli sub tempore habendis.

Qui simul ingenio crescentes mentis et aevo

Robore vincebant fortes animoque sophistas,

Donec iam cunctos superarent fortiter Hunos.

Militiae primos tunc Attila fecerat illos,

Sed haud immerito, quoniam, si quando moveret

Bella, per insignes isti micuere triumphos;

Idcircoque nimis princeps dilexerat ambos.

Virgo etiam captiva deo praestante supremo

Reginae vultum placavit et auxit amorem,

Moribus eximiis operumque industria habundans.

Postremum custos thesauris provida cunctis

Efficitur, modicumque deest, quin regnet et ipsa;

Nam quicquid voluit de rebus, fecit et actis.

Interea Gibicho defungitur, ipseque regno

Guntharius successit et ilico Pannoniarum

Foedera dissolvit censumque subire negavit.

Hoc ubi iam primum Haganonem cognoverat exul,

Nocte fugam molitur et ad dominum properavit.

Waltharius tamen ad pugnas praecesserat Hunos,

Et quocumque iret, mox prospera sunt comitata.

Ospirin elapsam Haganonem, regia coniunx,

Attendens domino suggestit talia dicta:

„Provideat caveatque, precor, sollertia regis,

Ne vestri imperii labatur forte columna,

Hoc est, Waltharius vester discedat amicus,

In quo magna potestatis vis extitit huius;

Nam vereor, ne fors fugiens Haganonem imitetur.

Idcircoque meam perpendite nunc rationem:

Cum primum veniat, haec illi dicite verba:

„Servitio in nostro magnos plerumque labores

Passus eras ideoque scias, quod gratia nostra

Prae cunctis temet nimium dilexit amicis.

Quod volo plus factis te quam cognoscere dictis:

Elige de satrapis nuptam tibi Pannoniarum

Et non pauperiem propriam perpendere cures.

Amplificabo quidem valde te rure domique,

Nec quisquam, qui dat sponsam, post facta pudebit.”

Quod si completis, illum stabilire potestis.”

Complacuit sermo regi, coepitque parari.

Waltharius venit, cui princeps talia pandit,  
Uxorem suadens sibi ducere; sed tamen ipse  
Iam tum praemeditans, quod post compleverat actis,  
His instiganti suggestibus obvius inquit:  
„Vestra quidem pietas est, quod modici famulatus  
Causam conspicitis; sed quod mea segnia mentis  
Intuitu fertis, numquam meruisse valerem.  
Sed precor, ut servi capiatis verba fidelis:  
Si nuptam accipiam domini praecepta secundum,  
Vinciar inprimis curis et amore puellae  
Atque a servitio regis plerumque retardor,  
Aedificare domos cultumque intendere ruris  
Cogor, et hoc oculis senioris adesse moratur  
Et solitam regno Hunorum impendere curam.  
Namque voluptatem quisquis gustaverit, exin  
Intolerabilius consuevit ferre labores.  
Nil tam dulce mihi, quam semper inesse fideli  
Obsequio domini; quare, precor, absque iugali  
Me vinclo permitte meam iam ducere vitam!  
Si sero aut medio noctis mihi tempore mandas,  
Ad quaecumque iubes, securus et ibo paratus.  
In bellis nullae persuadent cedere curae,  
Nec nati aut coniunx retrahentque fugamque movebunt.  
Testor per propriam temet, pater optime, vitam



Atque per invictam nunc gentem Pannoniarum,  
Ut non ulterius me cogas sumere taedas.”  
His precibus victus suasus rex deserit omnes,  
Sperans Waltharium fugiendo recedere numquam.

Venerat interea satrapae certissima fama  
Quandam, quae nuper superata, resistere gentem  
Ac bellum Hunis confestim inferre paratam.

Tunc ad Waltharium convertitur actio rerum.  
Qui mox militiam percensuit ordine totam  
Et bellatorum confortat corda suorum,  
Hortans praeteritos semper memorare triumphos  
Promittensque istos solita virtute tyrannos  
Sternere et externis terrorem imponere terris.

Nec mora, consurgit sequiturque exercitus omnis.  
Ecce locum pugnae conspexerat et numeratam  
Per latos aciem campos digessit et agros.  
Iamque infra iactum teli congressus uterque  
Constiterat cuneus. tunc undique clamor ad auras  
Tollitur, horrendam confundunt classica vocem,  
Continuoque hastae volitant hinc indeque densae.  
Fraxinus et cornus ludum miscebat in unum,  
Fulminis inque modum cuspis vibrata micabat.  
Ac veluti boreae sub tempore nix glomerata  
Spargitur, haud aliter saevas iecere sagittas.  
Postremum cunctis utroque ex agmine pilis  
Absumptis manus ad mucronem vertitur omnis.  
Fulmineos promunt enses clipeosque revolvunt,

Concurrunt acies demum pugnamque restaurant.  
Pectoribus partim rumpuntur pectora equorum,  
Sternitur et quaedam pars duro umbone virorum.  
Waltharius tamen in medio furit agmine bello,  
Obvia quaeque metens armis ac limite pergens.  
Hunc ubi conspiciunt hostes tantas dare strages,  
Ac si praesentem metuebant cernere mortem,  
Et quemcunque locum, seu dextram sive sinistram,  
Waltharius peteret, cuncti mox terga dederunt  
Et versis scutis laxisque feruntur habenis.  
Tunc imitata ducem gens maxima Pannoniarum  
Saevior insurgit caedemque audacior auget,  
Deicit obstantes, fugientes proterit usque,  
Dum caperet plenum belli sub sorte triumphum.  
Tum super occisos ruit et spoliaverat omnes.  
Et tandem ductor recavo vocat agmina cornu  
Ac primus frontem festa cum fronde revinxit,  
Victrici lauro cingens sua tempora vulgo,  
Post hunc signiferi, sequitur quos cetera pubes.  
Iamque triumphali redierunt stemmate compta  
Et patriam ingressi propria se quisque locavit  
Sede, sed ad solium mox Waltharius properavit.

Ecce palatini decurrunt arce ministri  
Illius aspectu hilares equitemque tenebant,  
Donec vir sella descenderet inclitus alta.  
Si bene res vergant, tum demum forte requirunt.  
Ille aliquid modicum narrans intraverat aulam

(Lassus enim fuerat) regisque cubile petebat.  
Illic Hiltgundem solam offendit residentem.  
Cui post amplexus atque oscula dulcia dixit:  
„Ocius huc potum ferto, quia fessus anhelus.”  
Illa mero tallum complevit mox pretiosum  
Porrexitque viro, qui signans accipiebat  
Virgineamque manum propria constrinxit. at illa  
Astetit et vultum reticens intendit herilem,  
Walthariusque bibens vacuum vas porrigit olli  
(Ambo etenim norant de se sponsalia facta)  
Provocat et tali caram sermone puellam:  
„Exilium pariter patimur nam tempore tanto,  
Non ignorantes, quid nostri forte parentes  
Inter se nostra de re fecere futura.  
Quamne diu tacito premimus haec ipsa palato?”  
Virgo per hyroniam meditans hoc dicere sponsum  
Paulum conticuit, sed postea talia reddit:  
„Quid lingua simulas, quod ab imo pectore damnas,  
Oreque persuades, toto quod corde refutas,  
Sit veluti talem pudor ingens ducere nuptam?”  
Vir sapiens contra respondit et intulit ista:  
„Absit quod memoras, dextrorsum porrige sensum!  
Noris me nihilum simulata mente locutum,  
Nec quicquam nebulae vel falsi interfore crede!  
Nullus adest nobis exceptis namque duobus.  
Si nossem temet mihi promptam impendere mentem  
Atque fidem votis servare per omnia cautis,

Pandere cuncta tibi cordis mysteria vellem.”

Tandem virgo viri genibus curvata profatur:

„Ad quaecumque vocas, mi domne, sequar studiose

Nec quicquam placitis malim praeponere iussis.”

Ille dehinc: „piget exilii me denique nostri

Et patriae fines reminiscor saepe relictos

Idcircoque fugam cupio celerare latentem.

Quod iam prae multis potuissem forte diebus,

Si non Hiltgundem solam remanere dolerem.”

Addidit has imo virguncula corde loquelas:

„Vestrum velle meum, solis his aestuo rebus.

Praecipiat dominus, seu prospera sive sinistra

Eius amore pati toto sum pectore praesto.”

Waltharius tandem sic virginis inquit in aurem:

„Publica custodem rebus te nempe potestas

Fecerat, idcirco memor haec mea verba notato:

Inprimis galeam regis tunicamque trilicem

(Assero loricam fabrorum insigne ferentem)

Diripe, bina dehinc mediocria scrinia tolle.

His armillarum tantum da Pannonicarum,

Donec vix unum releves ad pectoris imum.

Inde quater binum mihi fac de more coturnum,

Tantundemque tibi patrans imponito vasis:

Sic fors ad summum complentur scrinia labrum.

Insuper a fabris hamos clam posce retortos:

Nostra viatica sint pisces simul atque volucres,

Ipsa ego piscator, sed et auceps esse coartor.

Haec intra ebdomadam caute per singula comple.  
Audisti, quid habere vianti forte necesse est.  
Nunc, quo more fugam valeamus inire, recludo:  
Postquam septenos Phoebus remeaverit orbis,  
Regi ac reginae satrapis ducibus famulisque  
Sumptu permagno convivium laeta parabo  
Atque omni ingenio potu sepelire studebo,  
Donec nullus erit, qui sentiat hoc, quod agendum est.  
Tu tamen interea mediocriter utere vino  
Atque sitim vix ad mensam restringere cura.  
Cum reliqui surgant, ad opuscula nota recurre.  
Ast ubi iam cunctos superat violentia potus,  
Tum simul occiduas properemus quaerere partes.”  
Virgo memor praecepta viri complevit; et ecce  
Praefinita dies epularum venit, et ipse  
Waltharius magnis instruxit sumptibus escas.  
Luxuria in media residebat denique mensa.  
Ingrediturque aulam velis rex undique septam.  
Heros magnanimus solito quem more salutans  
Duxerat ad solium, quem bissus compsit et ostrum.  
Consedit laterique duces hinc indeque binos  
Assedissee iubet; reliquos locat ipse minister.  
Centenos simul accubitus iniere sodales,  
Diversasque dapes libans conviva resudat.  
His et sublatis aliae referuntur edendae,  
Atque exquisitum fervebat migma per aurum  
(Aurea bissina tantum stant gausape vasa),

Et pigmentatus crateres Bacchus adornat.

Illicit ad haustum species dulcedoque potus.

Waltharius cunctos ad vinum hortatur et escam.

Postquam epulis depulsa fames sublataque mensa,

Heros iam dictus dominum laetanter adorsus

Inquit: „in hoc, rogito, clarescat gratia vestra,

Ut vos inprimis, reliquos tunc laetificetis.”

Et simul in verbo nappam dedit arte peractam

Ordine sculpturae referentem gesta priorum.

Quam rex accipiens haustu vacuaverat uno

Confestimque iubet reliquos imitari omnes.

Ocius accurrunt pincernae moxque recurrunt,

Pocula plena dabant et inania suscipiebant.

Hospitis ac regis certant hortatibus omnes.

Ebrietas fervens tota dominatur in aula;

Balbutit madido facundia fusa palato.

Heroas validos plantis titubare videres.

Taliter in seram produxit Bachica noctem

Munera Waltharius retrahitque redire volentes,

Donec vi potus pressi somnoque gravati

Passim porticibus sternuntur humotenus omnes.

Et licet ignicremis vellet dare moenia flammis,

Nullus, qui causam potuisset scire, remansit.

Tandem dilectam vocat ad semet mulierem,

Praeciens causas citius deferre paratas.

Ipseque de stabulis victorem duxit equorum,

Ob virtutem quem vocitaverat ille Leonem.

Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.  
Hunc postquam faleris solito circumdedit, ecce  
Scrinia plena gazae lateri suspendit utrique  
Atque iteri longo modicella cibaria ponit  
Loraque virgineae mandat fluitantia dextrae.  
Ipseque lorica vestitus more gigantis  
Imposuit capiti rubras cum casside cristas  
Ingentesque ocreis suras complectitur aureis  
Et laevum femur ancipiti praecinxerat ense  
Atque alio dextrum pro ritu Pannoniarum;  
Is tamen ex una tantum dat vulnera parte.  
Tunc hastam dextra rapiens clipeumque sinistra  
Cooperat invisus trepidus decedere terra.  
Femina duxit equum nonnulla talenta gerentem,  
In manibusque simul virgam tenet ipsa columnam,  
In qua piscator hamum transponit in undam,  
Ut cupiens pastum piscis deglutiat hamum.  
Namque gravatus erat vir maximus undique telis  
Suspectamque habuit cuncto sibi tempore pugnam.  
Omni nocte quidem properabant currere; sed cum  
Prima rubens terris ostendit lumina Phoebus,  
In silvis latitare student et opaca requirunt,  
Sollicitatque metus vel per loca tuta fatigans.  
In tantumque timor muliebria pectora pulsat,  
Horreat ut cunctos aerae ventique susurros,  
Formidans volucres collisos sive racemos.  
Hinc odium exilii patriaeque amor incubat inde.

Vicis diffugiunt, speciosa novalia linquunt;  
Montibus intonsis cursus ambage recurvos  
Sectantes tremulos variant per devia gressus.

Ast urbis populus somno vinoque solutus  
Ad medium lucis siluit recubando sequentis.  
Sed postquam surgunt, ductorem quique requirunt,  
Ut grates faciant ac festa laude saluent.  
Attila nempe manu caput amplexatus utraque  
Egreditur thalamo rex Walthariumque dolendo  
Advocat, ut proprium quereretur forte dolorem.  
Respondent ipsi se non potuisse ministri  
Invenisse virum, sed princeps sperat eundem  
Hactenus in somno tentum recubare quietum  
Occultumque locum sibi delegisse sopori.  
Ospirin Hiltgundem postquam cognovit abesse  
Nec iuxta morem vestes deferre suetum,  
Tristior immensis satrapae clamoribus inquit:  
„O detestandas, quas heri sumpsimus, escas!  
O vinum, quod Pannonias destruxerat omnes!  
Quod domino regi iam dudum praescia dixi,  
Approbat iste dies, quem nos superare nequimus.  
En hodie imperii vestri cecidisse columna  
Noscitur, en robur procul ivit et inclita virtus:  
Waltharius, lux Pannoniae, discesserat inde,  
Hiltgundem quoque mi caram deduxit alumnam.”

Iam princeps nimia succenditur efferus ira,  
Mutant laetitiam maerentia corda priorem.



Ex humeris trabeam discindit ad infima totam  
Et nunc huc animum tristem, nunc dividit illuc.  
Ac velut Aeolicis turbatur arena procellis,  
Sic intestinis rex fluctuat undique curis,  
Et varium pectus vario simul ore imitatus  
Prodidit exterius, quicquid toleraverat intus,  
Iraque sermonem permisit promere nullum.  
Ipsa quippe die potum fastidit et escam,  
Nec placidam membris potuit dare cura quietem.  
Namque ubi nox rebus iam dempserat atra colores,  
Decidit in lectum, verum nec lumina clausit,  
Nunc latus in dextrum fultus nunc inque sinistrum.  
Et veluti iaculo pectus transfixus acuto  
Palpitat atque caput huc et mox iactitat illuc,  
Et modo subrectus fulcro consederat amens.  
Nec iuvat hoc, demum surgens discurrit in urbe,  
Atque thorum veniens simul attigit atque reliquit.  
Taliter insomnem consumpserat Attila noctem.  
At profugi comites per amica silentia euntes  
Suspectam properant post terga relinquere terram.

Vix tamen erupit cras, rex patribusque vocatis  
Dixerat: „o si quis mihi Waltharium fugientem  
Afferat evinctum ceu nequam forte liciscam,  
Hunc ego mox auro vestirem saepe recocto  
Et tellure quidem stantem hinc inde onerarem  
Atque viam penitus clausissem, vivo, talentis.”  
Sed nullus fuit in tanta regione tyrannus

Vel dux sive comes seu miles sive minister,  
Qui, quamvis cuperet proprias ostendere vires  
Ac virtute sua laudem captare perennem  
Ambiretque simul gazam infarcire cruminis,  
Waltharium tamen iratum praesumpserat armis  
Insequier strictoque virum mucrone videre.  
Nota equidem virtus; experti sunt quoque, quantas  
Incolomis dederit strages sine vulnere victor.  
Nec potis est ullum rex persuadere virorum,  
Qui promissa velit hac condicione talenta.

Waltharius fugiens, ut dixi, noctibus ivit,  
Atque die saltus arbustaque densa requirens  
Arte accersitas pariter capit arte volucres,  
Nunc fallens visco, nunc fisso denique ligno.  
Ast ubi pervenit, qua flumina curva fluebant,  
Immittens hamum rapuit sub gurgite praedam  
Atque famis pestem pepulit tolerando laborem.  
Namque fugae toto se tempore virginis usu  
Continuit vir Waltharius laudabilis heros.

### **Pars Secunda**

Ecce quater denos sol circumflexerat orbis,  
Ex quo Pannonica fuerat digressus ab urbe.  
Ipso quippe die, numerum qui clauserat istum,  
Venerat ad fluvium iam vespere tum mediante,  
Scilicet ad Rhenum, qua cursus tendit ad urbem  
Nomine Wormatiam regali sede nitentem.  
Illic pro naulo pisces dedit antea captos  
Et mox transpositus graditur properanter anhelus.

Orta dies postquam tenebras discusserat atras,  
Portitor exsurgens praefatam venit in urbem  
Regalique coco, reliquorum quippe magistro,  
Detulerat pisces, quos vir dedit ille viator.  
Hos dum pigmentis condisset et apposuisset  
Regi Gunthario, miratus fatur ab alto:  
„Istius ergo modi pisces mihi Francia numquam  
Ostendit; reor externis a finibus illos.  
Dic mihi quantocius: cuias homo detulit illos?”  
Ipseque respondens narrat, quod nauta dedisset.  
Accersire hominem princeps praecepit eundem;  
Et, cum venisset, de re quaesitus eadem  
Talia dicta dedit causamque ex ordine pandit:  
„Vespere praeterito residebam litore Rheni  
Conspexique viatorem propere venientem  
Et veluti pugnae certum per membra paratum:  
Aere etenim penitus fuerat, rex inclite, cinctus  
Gesserat et scutum gradiens hastamque coruscam.  
Namque viro forti similis fuit, et licet ingens  
Asportaret onus, gressum tamen extulit acrem.  
Hunc incredibili formae decorata nitore  
Assequitur calcemque terit iam calce puella.  
Ipsaque robustum rexit per lora caballum  
Scriinia bina quidem dorso non parva ferentem,  
Quae, dum cervicem sonipes discussit altam  
Atque superba cupit glomerare volumina crurum,  
Dant sonitum, ceu quis gemmis illiserit aurum.

Hic mihi praesentes dederat pro munere pisces.”

His Haganus auditis (ad mensam quippe resedit)

Laetior in medium prompsit de pectore verbum:

„Congaudete mihi, quaeso, quia talia novi!

Waltharius collega meus remeavit ab Hunis.”

Guntharius princeps ex hac ratione superbus

Vociferatur, et omnis ei mox aula reclamat:

Congaudete mihi, iubeo, quia talia vixi!

Gazam, quam Gibicho regi transmisit eoo,

Nunc mihi cunctipotens huc in mea regna remisit.”

Haec ait et mensam pede perculit exiliensque

Ducere equum iubet et sella componere sculpta

Atque omni de plebe viros secum duodenas

Viribus insignes, animis plerumque probatos

Legerat. inter quos simul ire Haganona iubebat.

Qui memor antiquae fidei sociique prioris

Nititur a coeptis dominum transvertere rebus.

Rex tamen econtra nihilominus instat et inquit:

„Ne tardate, viri, praecingite corpora ferro

Fortia, squamosus thorax iam terga recondat.

Hic tantum gazae Francis deducat ab oris?”

Instructi telis (nam iussio regis adurget)

Exibant portis, te Waltharium cupientes

Cernere et imbellem lucris fraudare putantes.

Sed tamen omnimodis Haganus prohibere studebat,

At rex infelix coeptis resipiscere non vult.

Interea vir magnanimus de flumine pergens

Venerat in saltum iam tum Vosagum vocitatum.  
Nam nemus est ingens, spatiosum, lustra ferarum  
Plurima habens, suetum canibus resonare tubisque.  
Sunt in secessu bini montesque propinqui,  
Inter quos licet angustum specus extat amoenum,  
Non tellure cava factum, sed vertice rupum:  
Apta quidem statio latronibus illa cruentis.  
Angulus hic virides ac vescalas gesserat herbas.  
„Huc”, mox ut vidit iuuenis, „huc” inquit „eamus,  
His iuvat in castris fessum componere corpus.”  
Nam postquam fugiens Avarum discesserat oris,  
Non aliter somni requiem gustaverat idem  
Quam super innixus clipeo; vix clauserat orbes.  
Bellica tum demum deponens pondera dixit  
Virginis in gremium fusus: „circumspice caute,  
Hiltgunt, et nebulam si tolli videris atram,  
Attactu blando me surgere commonitato,  
Et licet ingentem conspexeris ire catervam,  
Ne excutias somno subito, mi cara, caveto!  
Nam procul hinc acies potis es transmittere puras.  
Instanter cunctam circa explora regionem!”  
Haec ait atque oculos concluderat ipse nitentes  
Iamque diu satis optata fruitur requiete.

Ast ubi Guntharius vestigia pulvere vidit,  
Cornipedem rapidum saevis calcaribus urget  
Exultansque animis frustra sic fatur ad auras:  
„Accelerate, viri, iam nunc capietis euntem,

Numquam hodie effugiet, furata talenta relinquet.”

Inclitus at Hagano contra mox reddidit ista:

„Unum dico tibi, regum fortissime, tantum:

Si totiens tu Waltharium pugnasse videres

Atque nova totiens, quotiens ego, caede furentem,

Numquam tam facile spoliandum forte putares.

Vidi Pannonias acies, cum bella cierent

Contra aquilonares sive australes regiones.

Illic Waltharius propria virtute coruscus

Hostibus invisus, sociis mirandus obibat.

Quisquis ei congressus erat, mox Tartara vidit.

O rex et comites, experto credite, quantus

In clipeum surgat, quo turbine torqueat hastam.”

Sed dum Guntharius male sana mente gravatus

Nequaquam flecti posset, castris propiabant.

At procul aspiciens Hiltgunt de vertice montis

Pulvere sublato venientes sensit et ipsum

Waltharium placido tactu vigilare monebat.

Qui caput attollens scrutatur, si quis adiret.

Eminus illa refert quandam volitare phalangem.

Ipsae oculos tersos somni glaucomate purgans

Paulatim rigidos ferro vestiverat artus

Atque gravem rursus parmam collegit et hastam

Et saliens vacuas ferro transverberat auras

Et celer ad pugnam telis prolusit amaram.

Comminus ecce coruscantes mulier videt hastas

Ac stupefacta nimis: „Hunos hic” inquit „habemus!”

In terramque cadens effatur talia tristis:

„Obsecro, mi senior, gladio mea colla secentur,

Ut, quae non merui pacto thalamo sociari,

Nullius ulterius patiar consortia carnis.”

Tum iuvenis: „cruor innocuus me tinxerit?” inquit

Et: „quo forte modo gladius potis est inimicos

Sternere, tam fidae si nunc non parcat amicae?

Absit quod rogitas; mentis depone pavorem!

Qui me de variis eduxit saepe periculis,

Hic valet hic hostes, credo, confundere nostros.”

Haec ait atque oculos tollens effatur ad ipsam:

„Non assunt Avars hic, sed Franci nebulones,

Cultores regionis et” - en galeam Haganonis

Aspicit et noscens iniunxit talia ridens:

„Et meus hic socius Hagano collega veterus.”

Hoc heros dicto introitum stationis adibat,

Inferius stanti praedicens sic mulieri:

„Hac coram porta verbum modo iacto superbum:

Hinc nullus rediens uxori dicere Francus

Praesumet se impune gazae quid tollere tantae.”

Necdum sermonem complevit, humotenus ecce

Corruit et veniam petiit, quia talia dixit.

Postquam surrexit, contemplans cautius omnes:

„Horum, quos video, nullum Haganone remoto

Suspicio; namque ille meos per proelia mores

Iam didicit, tenet hic etiam sat callidus artem.

Quam si forte volente deo intercepero solam,

Tunc” ait „ex pugna tibi, Hiltgunt sponsa, reservor.”

Ast ubi Waltharium tali statione receptum  
Conspexit Hagano, satrapae mox ista superbo  
Suggerit: „o senior, desiste lacessere bello  
Hunc hominem! pergant primum, qui cuncta requirant,  
Et genus et patriam nomenque locumque relictum,  
Vel si forte petat pacem sine sanguine praebens  
Thesaurum. Per responsum cognoscere hominem  
Possumus, et si Waltharius remoratur ibidem  
(Est sapiens), forsán vestro concedet honori.”

Praecipit ire virum cognomine rex Camalonem,  
Inclita Mettensi quem Francia miserat urbi  
Praefectum, qui dona ferens devenerat illo  
Anteriore die, quam princeps noverit ista.  
Qui dans frena volat rapidoque simillimus euro  
Transcurrit spatium campi iuvenique propinquat  
Ac sic obstantem compellat: „dic, homo, quisnam  
Sis aut unde venis? <quid vis?> quo pergere tendis?”  
Heros magnanimus respondit talia dicens:  
„Sponte tua venias an huc te miserit ullus,  
Scire velim.” Camalo tunc reddidit ore superbo:  
„Noris Guntharium regem tellure potentem  
Me misisse tuas quaesitum pergere causas.”

His auscultatis suggesserat hoc adolescens:  
„Ignoro penitus, quid opus sit forte viantis  
Scrutari causas, sed promere non trepidamus.  
Waltharius vocor, ex Aquitanis sum generatus.



A genitore meo modicus puer obsidis ergo  
Sum datus ad Hunos; ibi vixi nuncque recessi  
Concupiens patriam dulcemque revisere gentem.”  
Missus ad haec: „tibi iam dictus per me iubet heros,  
Ut cum scriniolis equitem des atque puellam.  
Quod si promptus agis, vitam concedet et artus.”

Waltharius contra fidenter protulit ista:

„Stultius effatum me non audisse sophistam  
Arbitror. En memoras, quod princeps, nescio vel quis,  
Promittat, quod non retinet nec fors retinebit.  
An deus est, ut iure mihi concedere possit  
Vitam? num manibus tetigit? num carcere trusit  
Vel post terga meas torsit per vincula palmas?  
At tamen ausculta: si me certamine laxat  
(Aspicio, ferratus adest, ad proelia venit),  
Armillas centum de rubro quippe metallo  
Factas transmittam, quo nomen regis honorem.”  
Tali responso discesserat ille recepto,  
Principibus narrat, quod protulit atque resumpsit.

Tunc Hagano ad regem: „porrectam suscipe gazam,  
Hac potis es decorare, pater, tecum comitantes,  
Et modo de pugna palmam revocare memento!  
Ignotus tibi Waltharius et maxima virtus.  
Ut mihi praeterita portendit visio nocte,  
Non, si conserimus, nos prospera cuncta sequentur.  
Visum quippe mihi te colluctarier urso,  
Qui post conflictus longos tibi mordicus unum

Crus cum poplite ad usque femur decerpserat omne  
Et mox auxilio subeuntem ac tela ferentem  
Me petit atque oculum cum dentibus eruit unum.”

His animadversis clamat rex ille superbus:  
„Ut video, genitorem imitaris Hagathien ipse.  
Hic quoque perpavidam gelido sub pectore mentem  
Gesserat et multis fastidit proelia verbis.”

Tunc heros magnam iuste conceperat iram,  
Si tamen in dominum licitum est irascier ullum.  
„En” ait „in vestris consistant omnia telis.  
Est in conspectu, quem vultis, dimicet omnis.  
Comminus astatis, nec iam timor impedit ullum;  
Eventum videam nec consors sim spoliorum.”  
Dixerat et collem petiit mox ipse propinquum  
Descendensque ab equo consedit et aspicit illo.  
Post haec Guntharius Camaloni praecipit aiens:  
„Perge et thesaurum reddi mihi praecipe totum.  
Quodsi cunctetur (scio, tu vir fortis et audax),  
Congredere et bello devictum mox spoliato!”

Ibat Mettensis Camalo metropolitanus,  
Vertice fulva micat cassis, de pectore thorax,  
Et procul acclamans: „heus, audi” dixit „amice!  
Regi Francorum totum trans mitte metallum,  
Si vis ulterius vitam vel habere salutem!”  
Conticuit paulum verbo fortissimus heros,  
Opperiens propius hostem adventare ferocem.  
Advolitans missus vocem repetiverat istam:

[„Regi Francorum totum trans mitte metallum!”]

Tum iuuenis constans responsum protulit istud:

„Quid quaeris vel quid reddi, importune, coartas?

Numquid Gunthario furabar talia regi?

Aut mihi pro lucro quicquam donaverat ille,

Ut merito usuram me cogat solvere tantam?

Num pergens ego dampna tuli vestrae regioni,

Ut vel hinc iuste videar spoliari a te?

Si tantam invidiam cunctis gens exhibet ista,

Ut calcare solum nulli concedat eunti,

Ecce viam mercor, regi trans mitto ducentas

Armillas. Pacem donet modo bella remittens."

Haec postquam Camalo percepit corde ferino,

„Amplificabis” ait „donum, dum scrinia pandis.

Consummare etenim sermones nunc volo cunctos:

Aut quaesita dabis aut vitam sanguine fundes.”

Sic ait et triplicem clipeum collegit in ulnam

Et crispans hastile micans vi nititur omni

Ac iacit. At iuuenis devitat cautior ictum.

Hasta volans casso tellurem vulnere mordit.

Waltharius tandem: „si sic placet”, inquit „agamus!”

Et simul in dictis hastam transmisit. at illa

Per laevum latus umbonis transivit, et ecce

Palmam, qua Camalo mucronem educere coepit,

Confixit femori transpungens terga caballi.

Nec mora, dum vulnus sentit sonipes, furit atque

Excutiens dorsum sessorem sternere temptat;

Et forsán faceret, ní lancea fixa teneret.

Interea parmam Camalo dimisit et, hastam  
Complexus laeva, satagit divellere dextram.  
Quod mox perspicíens currit celeberrimus heros  
Et pede compresso capulo tenus ingerit ensem;  
Quem simul educens hastam de vulnere traxit.  
Tunc equus et dominus hora cecidere sub una.  
Et dum forte nepos conspexerat hoc Camalonis,  
Filius ipsius Kimo cognomine fratris,  
Quem referunt quídam Scaramundum nomine dictum,  
Ingemit et lacrimis compellat tristior omnes:  
„Haec me prae cunctis heu respicit actio rerum.  
Nunc aut commoriar vel carum ulciscar amicum.”  
Namque angusta loci solum concurrere soli  
Cogebant, nec quisquam alii succurrere quívit.  
Advolat infelix Scaramundus iam moriturus,  
Bina manu lato crispans hastilia ferro.  
Qui dum Waltharium nullo terrore videret  
Permotum fixumque loco consistere in ipso,  
Sic ait infrendens et equinam vertice caudam  
Concutiens: „in quo fidis? vel quae tua spes est?  
Non ego iam gazam nec rerum quidque tuarum  
Appeto, sed vitam cognati quaero perempti.”  
Ille dehinc: „si convincar, quod proelia primus  
Temptarim seu quid merui, quod talia possim  
Iure pati, absque mora tua me transverberet hasta.”  
Necdum sermonem concluderat, en Scaramundus

Unum de binis hostile retorsit in illum  
Confestimque aliud. Quorum celeberrimus heros  
Unum devitat, quatit ex umbone secundum.  
Tunc aciem gladii promens Scaramundus acuti  
Proruit in iuvenem cupiens praescindere frontem,  
Effrenique in equo propius devectus ad illum  
Non valuit capiti libratum infundere vulnus,  
Sed capulum galeae impegit: dedit illa resultans  
Tinnitus ignemque simul transfudit ad auras.  
Sed non cornipedem potuit girare superbum,  
Donec Waltharius sub mentum cuspidis ictum  
Fixerat et sella moribundum sustulit alta.  
Qui caput orantis proprio mucrone recidens  
Fecit cognatum pariter fluitare cruorem.

Hunc ubi Guntharius conspexit obisse superbus,  
Hortatur socios pugnam renovare furentes:  
„Aggrediamur eum nec respirare sinamus,  
Donec deficiens lassescat; et inde revinctus  
Thesaurus reddet luet et pro sanguine poenas.”  
Tertius en Werinhardus abit bellumque lacessit,  
Quamlibet ex longa generatus stirpe nepotum,  
O vir clare, tuus cognatus et artis amator,  
Pandare, qui quondam iussus confundere foedus  
In medios telum torsisti primus Achivos.  
Hic spernens hastam pharetram gestavit et arcum,  
Eminus emissis haud aequo Marte sagittis  
Waltharium turbans. contra tamen ille virilis

Constitit opponens clipei septemplicis orbem,  
Saepius eludens venientes providus ictus.  
Nam modo dissiluit, parmam modo vergit in austrum  
Telaque discussit, nullum tamen attigit illum.  
Postquam Pandarides se consumpsisse sagittas  
Incassum videt, iratus mox exerit ensem  
Et demum advolitans has iactitat ore loquelas:  
„O si ventosos lusisti, callide, iactus,  
Forsan vibrantis dextrae iam percipis ictum.”

Olli Waltharius ridenti pectore adorsus:  
„Iamque diu satis expecto certamina iusto  
Pondere agi. Festina, in me mora non erit ulla.”  
Dixerat et toto conixus corpore ferrum  
Conicit. Hasta volans pectus reseravit equinum:  
Tollit se arrectum quadrupes et calcibus auras  
Verberat effundensque equitem cecidit super illum.  
Accurrit iuvenis et ei vi diripit ensem.  
Casside discussa crines complectitur albos  
Multiplicesque preces nectenti dixerat heros:  
„Talia non dudum iactabas dicta per auras.”  
Haec ait et truncum secta cervice reliquit.

Sed non dementem tria visa cadavera terrent  
Guntharium: iubet ad mortem properare vicissim.  
En a Saxonibus oris Ekivrid generatus  
Quartus temptavit bellum, qui pro nece facta  
Cuiusdam primatis eo diffugerat exul.  
Quem spadix gestabat equus maculis variatus.

Hic ubi Waltharium promptum videt esse duello,  
„Dic” ait „an corpus vegetet tractabile temet  
Sive per aerias fallas, maledicte, figuras.  
Saltibus assuetus faunus mihi quippe videris.”  
Illeque sublato dedit haec responsa cachinno:  
„Celtica lingua probat te ex illa gente creatum,  
Cui natura dedit reliquas ludendo praeire.  
At si te propius venientem dextera nostra  
Attingat, post Saxonibus memorare valebis,  
Te nunc in Vosago fauni fantasma videre.”  
„Attemptabo quidem, quid sis”, Ektivrid ait, ac mox  
Ferratam cornum graviter iacit. Illa retorto  
Emicat amento; quam durus fregerat umbo.

Waltharius contra respondit cuspidem missa:  
„Haec tibi silvanus transponit munera faunus.  
Aspice, num mage sit telum penetrabile nostrum.”  
Lancea taurino contextum tergore lignum  
Diffidit ac tunicam scindens pulmone resedit.  
Volvitur infelix Ektivrid rivumque cruoris  
Evomit: en mortem fugiens incurrit eandem.  
Cuius equum iuvenis post tergum in gramen abegit.

Tunc a Gunthario clipeum sibi postulat ipsum  
Quintus ab inflato Hadawardus pectore lusus.  
Qui pergens hastam sociis dimisit habendam,  
Audax in solum confisus inaniter ensem.  
Et dum conspiceret deiecta cadavera totam  
Conclusisse viam nec equum transire valere,

Dissiliens parat ire pedes. Stetit acer in armis  
Waltharius laudatque virum, qui praebuit aequam  
Pugnandi sortem. Hadawart tum dixit ad illum:  
„O versute dolis ac fraudis conscie serpens,  
Occultare artus squamoso tegmine suetus  
Ac veluti coluber girum collectus in unum  
Tela tot evitas tenui sine vulneris ictu  
Atque venenatas ludis sine more sagittas!  
Numquid et iste, putas, astu vitabitur ictus,  
Quem propius stantis certo libramine mittit  
Dextra manus? neque enim is teli seu vulneris auctor.  
Audi consilium: parmam deponito pictam!  
Hanc mea sors quaerit, regis quoque sponsio praestat.  
Nolo quidem laedas, oculis quia complacet istis.  
Sin alias, licet et lucem mihi dempseris almam,  
Assunt hic plures socii carnisque propinqui,  
Qui, quamvis volucrem simules pennasque capessas,  
Te tamen immunem numquam patientur abire.”

Belliger at contra nil territus intulit ista:

„De reliquis taceo, clipeum defendere curo.  
Pro meritis, mihi crede, bonis sum debitor illi.  
Hostibus iste meis se opponere saepe solebat  
Et pro vulneribus suscepit vulnera nostris.  
Quam sit oportunus hodie mihi, cernis et ipse;  
Non cum Walthario loquereris forsan, abesset.  
Viribus o summis hostem depellere cures,  
Dextera, ne rapiat tibi propugnacula muri!



Tu clavum umbonis studeas retinere, sinistra,  
Atque ebori digitos circumfer glutine fixos!  
Istic ne ponas pondus, quod tanta viarum  
Portasti spatia, ex Avarum nam sedibus altis!”

Ille dehinc: „invitus agis, si sponte recusas.  
Nec solum parmam, sed equum cum virgine et auro  
Reddes: tum demum scelerum cruciamina pendes.”  
Haec ait et notum vagina diripit ensem.  
Inter se variis terrarum partibus orti  
Concurrunt. Stupuit Vosegus haec fulmina et ictus.  
Olli sublimes animis ac grandibus armis,  
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,  
Inter se multa et valida vi proelia miscent.  
Non sic nigra sonat percussa securibus ilex,  
Ut dant tinnitus galeae clipeique resultant.  
Mirantur Franci, quod non lassesceret heros  
Waltharius, cui nulla quies spatiumve dabatur.  
Emicat hic impune putans iam Wormatiensis  
Alte et sublato consurgit fervidus ense,  
Hoc ictu memorans semet finire duellum.  
Providus at iuvenis ferientem cuspide adacta  
Intercepit et ignarum dimittere ferrum  
Cogebat: procul in dumis resplenduit ensis.  
Hic ubi se gladio spoliatum vidit amico,  
Accelerare fugam fruticesque volebat adire.  
Alpharides fretus pedibus viridique iuventa  
Insequitur dicens: „quonam fugis? accipe scutum!”

Sic ait atque hastam manibus levat ocius ambis  
Et ferit. Ille cadit, clipeus superintonat ingens.  
Nec tardat iuvenis: pede collum pressit et hasta  
Divellens parmam telluri infixerat illum.  
Ipse oculos vertens animam sufflavit in auram.

Sextus erat Patavrid. Soror hunc germana Haganonis  
Protulit ad lucem. Quem dum procedere vidit,  
Vocibus et precibus conatur avunculus inde  
Flectere proclamans: „quonam ruis? aspice mortem,  
Qualiter arridet! desiste! en ultima Parcae  
Fila legunt. O care nepos, te mens tua fallit.  
Desine! Waltharii tu denique viribus impar.”  
Infelix tamen ille means haec omnia sprevit;  
Arsit enim venis laudem captare cupiscens.  
Tristatusque Hagano suspiria pectore longa  
Traxit et has imo fudit de corde loquelas:  
„O vortex mundi, fames insatiatus habendi,  
Gurges avaritiae, cunctorum fibra malorum!  
O utinam solum gluttires dira metallum  
Divitiasque alias homines impune remittens!  
Sed tu nunc homines perverso numine perflans  
Incendis, nullique suum iam sufficit. Ecce  
Non trepidant mortem pro lucro incurrere turpem.  
Quanto plus retinent, tanto sitis ardet habendi.  
Externis modo vi modo furtive potiuntur  
Et, quod plus renovat gemitus lacrimasque ciebit,  
Caeligenas animas Erebi fornace retrudunt.

Ecce ego dilectum nequeo revocare nepotem;  
Instimulatus enim de te est, o saeva cupido.  
En caecus mortem properat gustare nefandam  
Et vili pro laude cupit descendere ad umbras.  
Heu mihi care nepos, quid matri, perditae, mandas?  
Quis nuper ductam refovebit, care, maritam,  
Cui nec, raptae spei, pueri ludicra dedisti?  
Quis tibi nam furor est? unde haec dementia venit?”  
Sic ait et gremium lacrimis conspersit obortis,  
Et longum „formose, vale” singultibus edit.

Waltharius, licet alonge, socium fore maestum  
Attendit, clamorque simul pervenit ad aures.  
Unde incursantem sic est affatus equestrem:  
„Accipe consilium, iuvenis clarissime, nostrum  
Et te conservans melioribus utere fatis.  
Desine, nam tua te fervens fiducia fallit!  
Heroum tot cerne neces et cede duello,  
Ne suprema videns hostes facias mihi plures.”  
„Quid de morte mea curas” ait ille „tyranne?”  
Est modo pugnandum tibimet, non sermocinandum.”  
Dixit et in verbo nodosam destinat hastam,  
Cuspide quam propria divertens transtulit heros.  
Quae subvecta choris ac viribus acta furentis  
In castrum venit atque pedes stetit ante puellae.  
Ipsa metu perculsa sonum prompsit muliebrem.  
At postquam tenuis redit in praecordia sanguis,  
Paulum suspiciens spectat, num viveret heros.

Tum quoque vir fortis Francum discedere bello  
Iussit; at ille furens gladium nudavit et ipsum  
Incurrens petiit vulnusque a vertice librat.  
Alpharides parmam demum concusserat aptam  
Et spumantis apri frendens de more tacebat.  
Ille ferire volens se pronior omnis ad ictum  
Exposuit, sed Waltharius sub tegmine flexus  
Delituit corpusque suum contraxit, et ecce  
Vulnere delusus iuvenis recidebat ineptus.  
Finis erat, nisi quod genibus tellure refixis  
Belliger accubuit calibemque sub orbe cavebat.  
Hic dum consurgit, pariter se subrigit ille  
Ac citius scutum trepidus sibi praetulit atque  
Frustra certamen renovare parabat. At illum  
Alpharides fixa gladio petit ocius hasta  
Et mediam clipei dempsit vasto impete partem,  
Hamatam resecans loricae atque ilia nudans.  
Labitur infelix Patavrid sua viscera cernens  
Silvestrique ferae corpus, animam dedit Orco.

Hunc sese ulturum spondens Gerwitus adivit,  
Qui forti subvectus equo supra volat omnem  
Stragem, quae angustam concluderat obvia callem.  
Et dum bellipotens recidisset colla iacentis,  
Venit et ancipitem vibravit in ora bipennem  
(Istius ergo modi Francis tunc arma fuere).  
Vir celer obiecit peltam frustravit et ictum,  
Ac retro saliens hastam rapiebat amicam

Sanguineumque ulva viridi dimiserat ensem.

Hic vero metuenda virum tum bella videres.

Sermo quidem nullus fuit inter Martia tela:

Sic erat adverso mens horum intenta duello.

Is furit, ut caesos mundet vindicta sodales,

Ille studet vitam toto defendere nisu

Et, si fors dederit, palmam retinere triumphi.

Hic ferit, ille cavet; petit ille, reflectitur iste:

Ad studium fors et virtus miscentur in unum.

Longa tamen cuspis breviori depulit hostem

Armatum telo, girat sed et ille caballum

Atque fatigatum cupiebat fallere hominem.

Iam magis atque magis irarum mole gravatus

Waltharius clipeum Gerwiti sustulit imum,

Transmissoque femur penetraverat inguine ferrum.

Qui post terga ruens clamorem prodidit atrum

Exitiumque dolens pulsabat calcibus arum.

Hunc etiam truncum caesa cervice reliquit.

Idem Wormatiae campis comes extitit ante.

Tunc primum Franci coeperunt forte morari

Et magnis precibus dominum decedere pugna

Deposcunt. Furit ille miser caecusque profatur:

„Quaeso, viri fortes et pectora saepe probata,

Ne fors haec cuicumque metum, sed conferat iram.

Quid mihi, si Vosago sic sic inglorius ibo?

Mentem quisque meam sibi vindicet. En ego partus

Ante mori sum, Wormatiam quam talibus actis

Ingrediar. Petat hic patriam sine sanguine victor?  
Hactenus arsisit hominem spoliare metallis;  
Nunc ardet, viri, fuscum mundare cruorem,  
Ut mors abstergat mortem, sanguis quoque sanguem,  
Soleturque necem sociorum plaga necantis!”

His animum dictis demens incendit et omnes  
Fecerat immemores vitae simul atque salutis.  
Ac velut in ludis alium praecurrere quisque  
Ad mortem studuit; sed semita, ut antea dixi,  
Cogebat binos bello decernere solos.  
Vir tamen illustris dum cunctari videt illos,  
Vertice distractas suspendit in arbore cristas  
Et ventum captans sudorem tersit anhelus.

Ecce repentino Randolph athleta caballo  
Praevortens reliquos hunc importunus adivit  
Ac mox ferrato petiit sub pectore conto.  
Et nisi duratis Wielandia fabrica giris  
Obstaret, spisso penetraverit ilia ligno.

Ille tamen subito stupefactus corda pavore  
Munimen clipei obiecit mentemque recepit.  
Nec tamen et galeam fuerat sumpsisse facultas.  
Francus at emissa gladium nudaverat hasta  
Et feriens binos Aquitani vertice crines  
Abrasit, sed forte cutem praestringere summam  
Non licuit; rursumque alium vibraverat ictum  
Et praeceps animi directo obstamine scuti  
Impegit calibem, nec quivit viribus ullis

Elicere. Alpharides retro, se fulminis instar  
Excutiens, Francum valida vi fudit ad arvum  
Et super assistens pectus conculcat et inquit:  
„En pro calvitio capitis te vertice fraudo,  
Ne fiat ista tuae de me iactantia sponsae.”  
Vix effatus haec truncavit colla precantis.

At nonus pugnae Helmnod successit, et ipse  
Insertum triplici gestabat fune tridentem,  
Quem post terga quidem socii stantes tenuerunt,  
Consiliumque fuit, dum cuspis missa sederet  
In clipeo, cuncti pariter traxisse studerent,  
Ut vel sic hominem deiecissent furibundum;  
Atque sub hac certum sibi spe posuere triumphum.  
Nec mora, dux totas fundens in brachia vires  
Misit in adversum magna cum voce tridentem  
Edicens: „ferro tibi finis, calve, sub isto!”  
Qui ventos penetrans iaculorum more coruscat,  
Quod genus aspidis ex alta sese arbore tanto  
Turbine demittit, quo cuncta obstantia vincat.  
Quid moror? umbonem sciderat peltaque resedit.  
Clamorem Franci tollunt saltusque resultat,  
Obnixique trahunt restim simul atque vicissim,  
Nec dubitat princeps tali se aptare labori.  
Manarunt cunctis sudoris flumina membris.  
Sed tamen haec inter velut aesculus astitit heros  
Quae non plus petit astra comis quam Tartara fibris,  
Contempnens omnes ventorum immota fragores.

Certabant hostes hortabanturque viritim,  
Ut, si non quirent ipsum detrudere ad arvum  
Munimen clipei saltem extorquere studerent,  
Quo dempto vivus facile caperetur ab ipsis.

Nomina quae restant edicam iamque trahentum:

Nonus Eleuthir erat, Helmnod cognomine dictus,  
Argentina quidem decimum dant oppida Trogum,  
Extulit undecimum pollens urbs Spira Tanastum,  
Absque Haganone locum rex supplevit duodenum.  
Quattuor hi adversum summis conatibus unum  
Contendunt pariter multo varioque tumultu.

Interea Alpharidi vanus labor incutit iram,  
Et qui iam pridem nudarat casside frontem,  
In framea tunicaque simul confisus aena  
Omisit parmam primumque invasit Eleuthrin.  
Huic galeam findens cerebrum diffudit et ipsam  
Cervicem resecans pectus patefecit, at aegrum  
Cor pulsans animam liquit mox atque calorem.

Inde petit Trogum haerentem in fune nefando.

Qui subito attonitus recidentis morte sodalis  
Horribilique hostis conspectu coeperat acrem  
Nequiquam temptare fugam voluitque relicta  
Arma recolligere, ut rursum repararet agonem  
(Nam cuncti funem tracturi deposuerunt  
Hastas cum clipeis). Sed quanto maximus heros  
Fortior extiterat, tanto fuit ocior, olli  
Et cursu capto suras mucrone recidit



Ac sic tardatum praevenit et abstulit eius  
Scutum. Sed Trogus quamvis de vulnere lassus,  
Mente tamen fervens saxum circumspicit ingens,  
Quod rapiens subito obnixum contorsit in hostem  
Et proprium a summo clipeum fudit usque deorsum.  
Sed retinet fractum pellis superaddita lignum.  
Moxque genu posito viridem vacuaverat aedem  
Atque ardens animis vibratu terruit auras,  
Et si non quivit virtutem ostendere factis,  
Corde tamen habitum patefecit et ore virilem.  
Nec manes ridere videns audaciter inquit:  
„O mihi si clipeus vel sic modo adesset amicus!  
Fors tibi victoriam de me, non inclita virtus  
Contulit. Ad scutum mucronem hic tollito nostrum!”

Tum quoque subridens „venio iam” dixerat heros  
Et cursu advolitans dextram ferientis ademit.  
Sed cum athleta ictum libraret ab aure secundum  
Pergentique animae valvas aperire studeret,  
Ecce Tanastus adest telis cum rege resumptis  
Et socium obiecta protexit vulnere pelta.  
Hinc indignatus iram convertit in ipsum  
Waltharius humerumque eius de cardine vellit  
Perque latus ducto suffudit viscera ferro.  
„Ave!” procumbens submurmurat ore Tanastus.  
Quo recidente preces contempsit promere Trogus  
Conviciisque sui victorem incendit amaris,  
Seu virtute animi, seu desperaverat. Exin

Alpharides: „morere” inquit „et haec sub Tartara transfer  
Enarrans sociis, quod tu sis ultus eosdem.”

His dictis torquem collo circumdedit aureum.  
e simul caesi volvuntur pulvere amici,  
rebris foedatum ferientes calcibus arvom.

### **Pars Tertia**

His rex infelix visis suspirat et omni  
Aufugiens studio falerati terga caballi  
Scandit et ad maestum citius Haganona volavit  
Omnimodisque illum precibus flexisse satagit,  
Ut secum pergens pugnam repararet. at ille:  
„Me genus infandum prohibet bellare parentum,  
Et gelidus sanguis mentem mihi ademit in armis.  
Tabescebat enim genitor, dum tela videret,  
Et timidus multis renuebat proelia verbis.  
Haec dum iactasses, rex, inter te comitantes,  
Exstitit indignum nostri tibi quippe iuvamen.”

Ille recusanti precibus nihilominus instans  
Talibus aversum satagit revocare loquelis:  
„Deprecor ob superos, conceptum pone furorem,  
Iram de nostra contractam decute culpa,  
Quam vita comitante, domum si venero tecum,  
Impensis tibimet benefactis diluo multis.  
Nonne pudet sociis tot cognatisque peremptis  
Dissimulare virum? magis, ut mihi quippe videtur,  
Verba valent animum quam facta nefanda movere.  
Iustius in saevum tumuisses mente tyrannum,

Qui solus hodie caput infamaverat orbis.  
Non modicum patimur damnum de caede virorum;  
Dedecus at tantum superabit Francia numquam.  
Antea quis fuimus suspecti, sibila dantes  
„Francorum” dicent „exercitus omnis ab uno,  
Pro pudor, ignotum vel quo, est impune necatus”!”

Cunctabatur adhuc Haganon et pectore sponsam  
Walthario plerumque fidem volvebat et ipsum  
Eventum gestae relegebat in ordine causae.  
Supplicius tamen infelix rex institit illi.  
Cuius subnixae rogantis acumine motus  
Erubuit domini vultum, replicabat honorem  
Virtutis propriae, qui fors vilesceret inde,  
Si quocumque modo in rebus sibi parceret istis.  
Erupit tandem et clara sic voce respondit:  
„Quo me, domne, vocas? quo te sequar, inclite princeps?  
Quae nequeunt fieri, spondet fiducia cordi.  
Quis tam desipiens quandoque fuisse probatur,  
Qui saltu baratrum sponte attemperavit apertum?  
Nam scio Waltharium per campos sic fore acerbum,  
Ut tali castro nec non statione locatus  
Ingentem cuneum velut unum temnat homillum.  
Et licet huc cunctos equites simul atque pedestres  
Francia misisset, sic his ceu fecerat istis.  
Sed quia conspicio te plus doluisse pudore  
Quam caedis damno nec sic discedere velle,  
Compatior, propriusque dolor succumbit honori

Regis: et ecce viam conor reperire salutis,  
Quae tamen aut nusquam ostendit se sive coacte.  
Nam propter carum (fateor tibi, domne) nepotem  
Promissam fidei normam corrumpere nollem.  
Ecce in non dubium pro te, rex, ibo periculum.  
Ast hic me penitus conflictu cedere noris.  
Secedamus eique locum praestemus eundi  
Et positi in speculis tondamus prata caballis,  
Donec iam castrum securus deserat artum,  
Nos abiisse ratus. Campos ubi calcet apertos,  
Insurgamus et attonitum post terga sequamur:  
Sic aliquod virtutis opus temptare valemus.  
Haec mihi in ambiguis spes est certissima rebus.  
Tum pugnare potes, belli si, rex, tibi mens est:  
Quippe fugam nobis numquam dabit ille duobus,  
At nos aut fugere aut acrum bellare necesse est.”  
Laudat consilium satrapa et complectitur illum  
Oscilloque virum demulcet; et ecce recedunt  
Insidiisque locum circumspexere sat aptum  
Demissique ligant animalia gramine laeto.

Interea occiduas vergebat Phoebus in oras,  
Ultima per notam signans vestigia Thilen,  
Et cum Scottigenis post terga reliquit Hiberos.  
Hic postquam oceanas sensim calefecerat undas,  
Hesperos Ausonidis obvertit cornua terris,  
Tum secum sapiens coepit tractare satelles,  
Utrum sub tuto per densa silentia castro

Sisteret, an vastis heremi committeret arvis.  
Aestuat immensis curarum fluctibus et, quid  
Iam faceret, sollers arguta indagine quaerit.  
Solus enim Hagano fuerat suspectus et illud  
Oscillum regis subter complexibus actum.  
Ambierat prorsus, quae sit sententia menti  
Hostis et an urbem vellent remeare relictam,  
Pluribus ut sociis per noctem forte coactis  
Primo mane parent bellum recreare nefandum  
An soli insidias facerent propiusque laterent.  
Terret ad haec triviis ignoti silva meatus,  
Ne loca fortassis incurreret aspera spinis,  
Immo quippe feris, sponsamque amitteret illis.

His ita provisus exploratisque profatur:

„En quocumque modo res pergant, hic recubabo,  
Donec circuiens lumen spera reddat amatum,  
Ne patriae fines dicat rex ille superbus  
Evasisse fuga furis de more per umbras.”  
Dixit et ecce viam vallo praemuniit artam  
Undique praecisis spinis simul et paliuris.  
Quo facto ad truncos sese convertit amaro  
Cum gemitu et cuicumque suum caput applicat atque  
Contra orientalem prostratus corpore partem  
Ac nudum retinens ense hac voce precatur:  
„Rerum factori, sed et omnia facta regenti,  
Nil sine permissu cuius vel denique iusso  
Constat, ago grates, quod me defendit iniquis

Hostilis turmae telis nec non quoque probris.  
Deprecor at dominum contrita mente benignum,  
Ut, qui peccantes non vult sed perdere culpas,  
Hos in caelesti praestet mihi sede videri.”

Qui postquam orandi finem dedit, ilico surgens  
Sex giravit equos et virgis rite retortis  
Vinciit: hi tantum remanebant, nempe duobus  
Per tela absumptis ternos rex Gunthere abegit.

His ita compositis procinctum solvit et alte  
Ingenti fumans leviabat pondere corpus.  
Tum maestam laeto solans affamine sponsam  
Moxque cibum capiens aegros recreaverat artus  
(Oppido enim lassus fuerat) clipeoque recumbens  
Primi custodem somni iubet esse puellam,  
Ipsae matutinam disponens tollere curam,  
Quae fuerat suspecta magis, tandemque quievit.  
Ad cuius caput illa sedens solito vigilavit  
Et dormitantes cantu patefecit ocellos.  
Ast ubi vir primum iam expergiscendo soporem  
Ruperat, absque mora surgens dormire puellam  
Iussit et arrepta se fulciit impiger hasta.  
Sic reliquum noctis duxit, modo quippe caballos  
Circuit, interdum auscultans vallo propiavit,  
Exoptans orbi species ac lumina reddi.

Lucifer interea praeco scandeat Olympo  
Dicens: „Taprobane clarum videt insula solem.”  
Hora fuit, gelidus qua terram irrorat Eous.

Aggreditur iuvenis caesos spoliariis armis  
Armorumque habitu, tunicas et cetera linquens;  
Armillas tantum, cum bullis baltea et enses,  
Loricis quoque cum galeis detraxerat ollis.  
Quatuor his oneravit equos sponsamque vocatam  
Imposuit quinto, sextum conscenderat ipse  
Et primus vallo perrexerat ipse revulso.  
At dum constricti penetratur semita callis,  
Circumquaque oculis explorans omnia puris  
Auribus arrectis ventos captavit et auras,  
Si vel mussantes sentiret vel gradientes  
Sive superbiorum crepitantia frena virorum,  
Seu saltim ferrata sonum daret ungula equorum.

Postquam cuncta silere videt, praevertit onustas  
Quadrupedes, mulierem etiam praecedere iussit.  
Scrinia gestantem comprehendens ipse caballum  
Audet inire viam consueto cinctus amictu.  
Mille fere passus transcendit, et ecce puella  
(Sexus enim fragilis animo trepidare coegit)  
Respiciens post terga videt descendere binos  
Quodam colle viros raptim et sine more meantes  
Exanguisque virum compellat voce sequentem:  
„Dilatus iam finis adest: fuge, domne, propinquant!”  
Qui mox conversus visos cognovit et inquit:  
„Incassum multos mea dextera fuderat hostes,  
Si modo supremis laus desit, dedecus assit.  
Est satius pulcrum per vulnera quaerere mortem

Quam solum amissis palando evadere rebus.  
Verum non adeo sunt desperanda salutis  
Commoda cernenti quondam maiora pericla.  
Aurum gestantis tute accipe lora Leonis  
Et citius pergens luco succede propinquo!  
Ast ego in ascensu montis subsistere malo,  
Eventum opperiens adventantesque salutans.”  
Obsequitur dictis virguncula clara iubentis.  
Ille celer scutum collegit et excutit hastam,  
Ignoti mores equitis temptando sub armis.

Hunc rex incursans comitante satellite demens

Eminus affatu compellat valde superbo:  
„Hostis atrox, nisu deluderis! ecce latebrae  
Protinus absistunt, ex quis de more liciscae  
Dentibus infrendens rabidis latrare solebas.  
En in propatulo, si vis, confligito campo  
Experiens, finis si fors queat aequiperari  
Principio. Scio: Fortunam mercede vocasti  
Idcircoque fugam tempnis seu deditionem.”

Alpharides contra regi non reddidit ulla,

Sed velut hinc surdus alio convertitur aiens:  
„Ad te sermo mihi, Haganos, subsiste parumper!  
Quid, rogo, tam fidum subito mutavit amicum,  
Ut, discessurus nuper vix posse revelli  
Qui nostris visus fuerat complexibus, ultro,  
Nullis nempe malis laesus, nos appetat armis?  
Sperabam, fateor, de te (sed denique fallor),



Quod, si de exilio redeuntem nosse valeres,  
Ipse salutatum mihimet mox obuius ires  
Et licet invitum hospitii requiete foveres  
Pacificeque in regna patris deducere velles,  
Sollicitusque fui, quorsum tua munera ferrem;  
Namque per ignotas dixi pergens regiones:  
„Francorum vereor Haganone superstite nullum.”  
Obsecro per ludos, resipiscito iam, pueriles,  
Unanimes quibus assueti fuimusque periti  
Et quorum cultu primos attrivimus annos.  
Inclita quonam migravit concordia nobis  
Semper in hoste domique manens nec scandala noscens?  
Quippe tui facies patris obliviscier egit,  
Tecum degenti mihi patria viluit ampla.  
Numquid mente fidem abradis saepissime pactam?  
Deprecor, hoc abscide nefas neu bella laccessas,  
Sitque inconvulsum nobis per tempora foedus.  
Quod si consentis, iam nunc ditatus abibis  
Eulogiis, rutilo umbonem complebo metallo.”

Contra quae Hagano vultu haec affamina torvo  
Edidit atque iram sic insinuavit apertam:  
„Vim prius exerces, Walthari, postque sopharis.  
Tute fidem abscideras, cum memet adesse videres  
Et tot stravisses socios immoque propinquos.  
Excusare nequis, quin me tunc affore nesses.  
Cuius si facies latuit, tamen arma videbas  
Nota satis habituque virum rescire valebas.

Cetera fors tulerim, si vel dolor unus abesset:  
Unice enim carum rutilum blandum pretiosum  
Carpisti florem mucronis falce tenellum.  
Haec res est, pactum qua irritasti prior alnum,  
Idcircoque gazam cupio pro foedere nullam.  
Sitne tibi soli virtus, volo discere in armis,  
Deque tuis manibus caedem perquiro nepotis.  
En aut oppeto sive aliquid memorabile faxo.”

Dixit et a tergo saltu se iecit equino,  
Hoc et Guntharius nec signior egerat heros  
Waltharius, cuncti pedites bellare parati.  
Stabat quisque ac venturo se providus ictu  
Praestruxit; trepidant sub peltis Martia membra.

Hora secunda fuit, qua tres hi congregiuntur.  
Adversus solum conspirant arma duorum.  
Primus malignam collectis viribus hastam  
Direxit Hagano disrupta pace. Sed illam  
Turbine terribilem tanto et stridore volantem  
Alpharides semet cernens tolerare nequire,  
Sollers obliqui delusit tegmine scuti:  
Nam veniens clipeo sic est ceu marmore levi  
Excussa et collem vehementer sauciat usque  
Ad clavos infixam solo. Tunc pectore magno,  
Sed modica vi fraxineum hastile superbus  
Iecit Guntharius, volitans quod adhaesit in ima  
Waltharii parma; quam mox dum concutit ipse,  
Excidit ignavum de ligni vulnere ferrum.

Omne quo maesti confuso pectore Franci  
Mox stringunt acies, dolor est conversus ad iras,  
Et tecti clipeis Aquitanum invadere certant.  
Strenuus ille tamen vi cuspidis expulit illos  
Atque incursantes vultu terrebat et armis.

Hic rex Guntharius coeptum meditatur ineptum,  
Scilicet ut iactam frustra terraeque relapsam  
(Ante pedes herois enim divulsa iacebat)  
Accedens tacite furtim sustolleret hastam,  
Quandoquidem brevibus gladiatorum denique telis  
Armati nequeunt accedere comminus illi,  
Qui tam porrectum torquebat cuspidis ictum.  
Innuit ergo oculis vassum praecedere suadens,  
Cuius defensu causam supplere valeret.

Nec mora, progreditur Haganon ac provocat hostem,  
Rex quoque gemmatum vaginae condidit ense  
Expediens dextram furto actutum faciendo.  
Sed quid plura? manum pronus transmisit in hastam  
Et iam comprehensam sensim subtraxerat illam  
Fortunae maiora petens. sed maximus heros,  
Utpote qui bello semper sat providus esset  
Praeter et unius punctum cautissimus horae,  
Hunc inclinari cernens persenserat actum  
Nec tulit, obstantem sed mox Haganona revellens,  
Denique sublato qui divertebat ab ictu,  
Insilit et planta direptum hastile retentat  
Ac regem furto captum sic increpitavit,

Ut iam perculso sub cuspide genua labarent.  
Quem quoque continuo esurienti porgeret Orco,  
Ni Haganō armipotens citius succurreret atque  
Obiecto dominum scuto muniret et hosti  
Nudam aciem saevi mucronis in ora tulisset.  
Sic, dum Waltharius vulnus cavet, ille resurgit  
Atque tremens stupidusque stetit, vix morte reversus.

Nec mora nec requies: bellum instauratur amarum.

Incurrunt hominem nunc ambo nuncque vicissim;  
Et dum progresso se impenderet acrius uni,  
En de parte alia subit alter et impedit ictum.  
Haud aliter, Numidus quam dum venabitur ursus  
Et canibus circumdatus astat et artubus horret  
Et caput occultans submurmurat ac propiantes  
Amplexans Umbros miserum mutire coartat  
(Tum rabidi circumlatrant hinc inde Molossi  
Comminus ac dirae metuunt accedere belvae),  
Taliter in nonam conflictus fluxerat horam,  
Et triplex cunctis inerat maceratio: leti  
Terror, et ipse labor bellandi, solis et ardor.

Interea herois coepit subrepere menti

Quiddam, qui tacito premit has sub corde loquelas:

„Si Fortuna viam non commutaverit, isti  
Vana fatigatum memet per ludicra fallent.”

Illico et elata Haganoni voce profatur:

„O paliure, vires foliis, ut pungere possis;

Tu saltando iocans astu me ludere temptas.

Sed iam faxo locum, propius ne accedere tardes:

Ecce tuas (scio praegrandes) ostendito vires!

Me piget incassum tantos sufferre labores.”

Dixit et exiliens contum contorsit in ipsum,

Qui pergens onerat clipeum dirimitque aliquantum

Loricæ ac magno modicum de corpore stringit;

Denique præcipuis præcinctus fulserat armis.

At vir Waltharius missa cum cuspide currens

Evaginato regem importunior ense

Impetit et scuto dextra de parte revulso

Ictum prævalidum ac mirandum fecit eique

Crus cum poplite adusque femur decerpserat omne.

Ille super parmam ante pedes mox concidit huius.

Palluit exanguis domino recidente satelles.

Alpharides spatam tollens iterato cruentam

Ardebat lapso postremum infligere vulnus.

Immemor at proprii Hagano vir forte doloris

Aeratum caput inclinans obiecit ad ictum.

Extensam cohibere manum non quiverat heros,

Sed cassis fabrefacta diu meliusque peracta

Excipit assaultum mox et scintillat in altum.

Cuius duritia stupefactus dissilit ensis,

Pro dolor! et crepitans partim micat aere et herbis.

Belliger ut frameae murcatae fragmina vidit,

Indigne tulit ac nimia furit efferus ira

Impatiensque sui capulum sine pondere ferri,

Quamlibet eximio præstaret et arte metallo,

Protinus abiecit monumentaque tristia sprevit.  
Qui dum forte manum iam enormiter exeruisset,  
Abstulit hanc Haganos sat laetus vulnere prompto.  
In medio iactus recidebat dextera fortis,  
Gentibus ac populis multis suspecta, tyrannis,  
Innumerabilibus quae fulserat ante trophaeis.  
Sed vir praecipuus nec laevis cedere gnarus,  
Sana mente potens carnis superare dolores,  
Non desperavit, neque vultus concidit eius,  
Verum vulnigeram clipeo insertaverat ulnam  
Incolomique manu mox eripuit semispatam,  
Qua dextrum cinxisse latus memoravimus illum,  
Ilico vindictam capiens ex hoste severam.  
Nam feriens dextrum Haganoni effodit ocellum  
Ac timpus resecans pariterque labella revellens  
Olli bis ternos discussit ab ore molares.

Tali negotio dirimuntur proelia facto.

Quemque suum vulnus atque aeger anhelitus arma  
Ponere persuasit. quisnam hinc immunis abiret,  
Qua duo magnanimi heroes tam viribus aequi  
Quam fervore animi steterant in fulmine belli!

Postquam finis adest, insignia quemque notabant:

Illic Guntharii regis pes, palma iacebat  
Waltharii nec non tremulus Haganonis ocellus.  
Sic sic armillas partiti sunt Avareses!

Consedere duo, nam tertius ille iacebat,  
Sanguinis undantem tergentes floribus amnem.

Haec inter timidam revocat clamore puellam

Alpharides, veniens quae saucia quaeque ligavit.

His ita compositis sponsus praecepit eidem:

„Iam misceto merum Haganoni et porrige primum;

Est athleta bonus, fidei si iura reservet.

Tum praebeto mihi, reliquis qui plus toleravi.

Postremum volo Guntharius bibat, utpote segnis

Inter magnanimum qui paruit arma virorum

Et qui Martis opus tepide atque enerviter egit.”

Obsequitur cunctis Heririci filia verbis.

Francus at oblato licet arens pectore vino

„Defer” ait „prius Alpharidi sponso ac seniori,

Virgo, tuo, quoniam, fateor, me fortior ille

Nec solum me, sed cunctos supereminet armis.”

Hic tandem Hagano spinosus et ipse Aquitanus

Mentibus invicti, licet omni corpore lassi,

Post varios pugnae strepitus ictusque tremendos

Inter pocula scurrili certamine ludunt.

Francus ait: „iam dehinc cervos agitabis, amice,

Quorum de corio wantis sine fine fruaris.

At dextrum, moneo, tenera lanugine comple,

Ut causae ignaros palmae sub imagine fallas.

Wah! sed quid dicis, quod ritum infringere gentis

Ac dextro femori gladium agglomerare videris

Uxorique tuae, si quando ea cura subintrat,

Perverso amplexu circumdabis euge sinistram?

Iam quid demoror? en posthac tibi quicquid agendum est

Laeva manus faciet.” Cui Walthare talia reddit:  
„Cur tam prosilias, admiror, lusce Sicamber.  
Si venor cervos, carnem vitabis aprinam.  
Ex hoc iam famulis tu suspectando iubebis  
Heroum turbas transversa tuendo salutans.  
Sed fidei memor antiquae tibi consiliabor:  
Iam si quando domum venias laribusque propinques,  
Effice lardatam de multa farreque pultam!  
Haec pariter victum tibi conferet atque medelam.”

His dictis pactum renovant iterato coactum  
Atque simul regem tollentes valde dolentem  
Imponunt equiti, et sic disiecti redierunt  
Franci Wormatiam, patriamque Aquitanus adivit.  
Illic gratifice magno susceptus honore  
Publica Hiltgundi fecit sponsalia rite  
Omnibus et carus post mortem obitumque parentis  
Ter denis populum rexit feliciter annis.  
Qualia bella dehinc vel quantos saepe triumphos  
Ceperit, ecce stilus renuit signare retunsus.

Haec quicumque legis, stridenti ignosce cicadae  
Raucellam nec adhuc vocem perpende, sed aevum,  
Utpote quae nidis nondum petit alta relictis.  
Haec est Waltharii poesis. vos salvet Iesus.



## Table of Contents

|                            |    |
|----------------------------|----|
| Prologus Geraldi . . . . . | 1  |
| Pars Prima . . . . .       | 1  |
| Pars Secunda . . . . .     | 17 |
| Pars Tertia . . . . .      | 41 |